

D E O D U C E!

MEDITATIO S. EPISTOLÆ

# DOMINICÆ III.

POST EPIPHANIAS.

Additis S. Patrum dictis, Quæstionum q̄; aliquot decisione, ad uberio- rem textûs cum opus est, explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

QUAM

*In Regia Aboënsi Academia,*

P R E S I D E

DN. ÆSCHILLO PETRÆO, S.S.

Theolog. Doct: & Episcopo Aboënsi,

*Examini subicit loco & horis solitis,*

*Ad diem 21. Febr. Anni 1657.*

JOHANNES LAURENTII HARCLERUS  
NICKRINKENSIS FINNO,

*Lyra in hunc locum.*

*Non precipit ut vindicari nolint à Deo quod clamant sancti, non propter exsaturandum odium sed letabitur justus cum viderit vindictam.*

Glossa ord:

*Monet ne licita cum scandalum fiat, sed boni exemplum quod Deo non displiceat & fratri non scandalum sit.*

A B O Æ

Excusa à PETRO HANSONIO Acad. Typ.

VIRIS

*Reverendis, Venerandis, Humanissimis, Prudentissimis,  
& honoratissimis,*

DN. ERICO NICOLAI Pastori in Nythrdia/  
dignissimo, patrono ac Meccenati suo magno, summâ men-  
tis devotione plurimum devenerando.

DN. SIGERIDO BARTHOLDI Bruun / V. D.  
in Eccl. Aboens. Fenn. Ministro vigilantissimo, nec non Everge-  
tæ ac promotori suo propensissimo, omni observantiæ & offi-  
ciorum genere atatem prosequendo. Avunculo  
suo charissimo:

DN. JONÆ MATTHIÆ Raumanno Symmystæ  
in Nythrdia fidelissimo, benefactori suo plurimum honorando.

DN. JACOBO HENRICI Rector / illustris, comi-  
tissæ Annæ Sophiæ Redituum Exactori perfideli, fau-  
tori suo fidelissimo.

DN. LAURENTIO ISAACI, Scultero in Nythrdia  
attentiss., Parenti suo charissimo.

DN. BARTHOLLO JOHANNIS, Amaneu-  
ensi Prætoris territorij Wemoensis impigerrimo,  
amico suo perdilecto.

*Dn. Benefactoribus, Promotoribus, & Fautoribus hocce  
Exercitium Theologicum in grati animi Tes-  
seram, reverentè & officiosè dedicat  
& offert.*

Johannes Laurentij  
Resp.



MEDITATIO S. EPISTOLÆ  
DOMINICÆ III. POST EPIPHANIAS,

In sanctæ & summè laudandæ Trinitatis, Patris  
Filij & Spiritus Sancti nomine.



*A*gite filij, auscultate mihi, reverenti-  
am Jehovæ docebo vos. Quis est  
vir ille, qui deletatur vita; amat dies  
amat frui bono? Custodi linguam tu-  
am à malo. & labia tua ne loquantur fraudem. Rece-  
de à malo & fac bonum, require pacem & sectare e-  
am. Oculi Jehovæ ad justos & aures ejus ad voci-  
ferationem eorum attendunt. Irata v. facies Ie-  
hovæ ad facientes malum, ut excindat è terra memo-  
riam eorum. Psal. 34. v. 12. 13. 14. 15. 16. 17. Qui-  
bus verbis comprehensa est suavissima invitatio ad ti-  
morem Domini, quòd in ea sit vera beatitudo, vita bona  
& boni dies, sive beatitudo & felicitas etiam in hac vita  
Traduntur quaedam præcepta veri timoris Dei. Quo-  
rum primum, ut custodiatur lingua nostra à malo, & la-  
bia ne loquantur fraudem, omittendum malum, faci-  
endum bonum, quærenda & sectanda pax. Promitti-  
tur præmium timoris Dei in exauditione precum justos-  
rum, oculi Domini aspiciunt justos, & illius aures pa-  
tebunt ad clamorem eorum. Indicatur quid mali e-  
veniat facientibus mala, quòd facies Domini sit con-  
tra eos, ita ut delet eorum memoriam de terra. Bona  
itaq; pars pietatis nostræ in his verbis traditur, tam quæ

ad primam, quam quæ ad secundam spectat tabulam. Est etiã insignis consolatio in his verbis, quod pietas non sit futura vana & sine præmio sicut impij putant, impij etiam non erunt securi semper, sentient suas poenas. Talia v. pietatis præcepta, qualia in verbis proponuntur, etiam in hoc textu Apostolico hujus Epistolæ percensentur.

**O** Remus a. Deum ut hanc Epistolam ita meditari queamus ut cedat in nominis divini gloriam, nobis in augmentum & incrementum doctrine & honorum operum, in spem & fiduciam & tandem in æternam beatitudinem. Dicamus igitur: Pater noster &c.

TEXTUS. Rom. 12 v. 16 ad finem cap.

**I**nchoat Apostolus hoc caput ab adhortatione ad suos Romanos ad sincerum Dei cultum servandum, dehortatur eos ab amicitia, familiaritateq; cum mundo & impijs, præcipuè v. à fastu & elatione, qua mundus scetet. Postea monet, ut quilibet donis suis utatur ad utilitatem proximi & ædificationem in quocunq; statu fuerit superiori vel inferiori. In hoc textu repetitur prior admonitio ad modestiam, ne quis de se aliter sentiat, quam oporteat de se sentire, ut nemo sit sapiens in oculis suis, ut loquitur Salomon, hoc est, ut nemo sibi plus tribuat quam congruit. Explicatur deinde lex talionis, quousq; se extendat, vel non reddendum malum pro malo, sed ut quisq; pro re nata consideret, quid deceat fieri, & quod probari putet ab omnibus bonis & æqui judicij hominibus. Hortatur ad pacem sectandam cum omnibus si ita liceat. Prohibetur privata vindicta, ut cohibeatur iracundia, commendetur Deo ultio, qui potest retribuere. Signa etiam colendæ familiaritatis cum offendentibus nos, hæc ponit;

ut



ut si esuriat cibemus eum : si sitiat, det ei potum, & tunc fore ait ut pertrahamus ad amicitiam nobiscum ineundum. Claudit textum hunc & caput hoc 12: generali præcepto ad tolerandas proximi infirmitates, ejusmodi non vincare à malo, sed vince bono malum. In hoc textu bona pars tabulæ secundæ explicatur & inculcatur præsertim v. sextum præceptum, in quo superbia & elatio mentis prohibetur, tum quintum & septimum præceptum. Excitatur ad orandum: dimitte nobis debita nostra; ne nos inducas in tentationem sed libera nos à malo.

## P A R T E S.

1. De prohibitione fastus & superbiæ in nostris cogitationibus, ne quis glorietur de sua sapientia.
2. De prohibitione quorundam vitiorum in diligendo proximo.

Atq; hæ sunt istæ partes quas hac vice breviter & simpliciter tractare constituimus: *Omnipotens & æternus Deus, pater noster cælestis dilectissimus nobis omnibus benedicat, cunctaq; utiliter & fructuosè cedere faciat.*

## P R I M A P A R S

In qua meditatur:

I. Apostoli communem informationem de cogitationibus nostris. Communis hæc & generalis informatio de cogitationibus & judicijs nostris hæc; idem sentite mutuo. Item; ne excelsa & sublimia sentite sed humilibus vos accomodate, gerite vos ut humiles decet in sentiendo. Hæ sunt duæ generales regulæ juxta quas animi nostri debent se in sentiendo conformare. Quod ad primam

attinet regulam, quæ ita habet: idem sentientes invicem  
Mens est Apostoli non hæc: ut consentiant in malo, ut  
dum unus cogitat & sentit malefaciendum, statim & alij  
debeant tum cum illo sentire, talis animorum unio non  
præcipitur, nec probatur: Sed hoc vult, ut audientes a-  
liquem benè sentire de realiqua (tunc nemo se oppo-  
nat, saltem studio dissentienti ab illo, ex vanæ gloriæ  
cupiditate, ut suo dissensu ostendat se etiam aliquid  
scire. Sententia itaq; Apostoli hæc est; ut si quis mo-  
net cum Apostolo ex hoc capite, ut cultus Deo præ-  
stetur sincerus, non fictus & simulatus & hy-  
pocriticus, non fiat coram mundo & ad oculum,  
sed ad voluntatem Dei ex sincero corde; hic nemo al-  
liud sentire debet, nemo debet defendere hypocrisin,  
sed idem cum recte monente sentire; si quis cum Apo-  
stolo svadeat prophetiam debere esse juxta analogiam  
fidei, ut docens constitutus, curet ea, quæ ad informa-  
tionem faciunt, proponere, ut qui dat det in simplicitate,  
gubernetq; alios accuratè & sedulò, ut qui misericordiam  
vult præstare, hoc faciat cum gaudio, ut dilectio sit  
sine hypocrisi, ut vitetur malum, adhæreamus bono,  
simus studiosi fraternitatis, alijs honorem deferaimus,  
ut simus in studio & proposito non pigri, ferventes in  
spiritu, servientes temporis, gaudentes in spe, in tribula-  
tionibus patientes, in orationibus perseverantes, com-  
municantes necessitatibus Sanctorum, exercentes ho-  
spitalitatem, benedicamus persequentibus nos & malum  
non faciamus vel maledicamus, gaudeamus cum gau-  
dentibus & fleamus cum flentibus; Cum ad talia fa-  
cienda invitamur, nemo aliud sentire debet, quam quod  
hæc bona & recta sint & facienda, non contra disputan-  
dum vel murmurandum. Hic & alibi quod juxta vo-  
luntatem Dei & ejus verbum profertur, proponitur



jubetur, ille omnium debet esse consensus, una cogitatio & animus.

L. G. Benè agitur cum Ecclesia, cum eius membra consentiunt in servandis, quæ Deus servari à nobis vult, & cavendis & vitandis, quæ Deus prohibet. Hoc optandum est & dicendum: adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua. Sic è contra malè agitur cum Ecclesia, cum in malo, in persequendo Christo, in extirpando Evangelij doctrinam, populus principes & Reges consentiunt; Prout eorum in hoc consensus describitur Psal. 2, v. 1. 2. 3. audiunt etiam ibi suum judicium v. 4. 5. 9. Si a. hic consensus in bono & licito, sincerus & verus non hypocriticus non dicent saltem Domine Domine, sed credent etiam, ita non appropinquent Domino labijs suis, corde eorum peregrè absente.

II. Secundam regulam de cogitationibus, quæ est: non sublimia cogitanda. Sublimia hæc possunt intelligi, vel mundana ut: magnæ dignitates & divitiæ sicuti discipuli Johannis & Judæi cogitabant de dignitatibus mundanis in regno Christi. Dives ille Luc. 12. divitiæ cogitabat. Epulo ille Luc. 16. dapes & delicias. Talia sublimia quæ coram hoc mundo splendent non cogitanda. Ideo etiam Deus laudat Salomonem, quod petierat, non cogitaverit petere divitiæ, victorias super hostes, dignitates, sed solummodo sapientiam petiverit sibi dari. Sunt etiam Theologica & spiritualia sublimia, quæ quidè cogitanda sunt, ut eorum crebro recordemur, veneremur in cogitationibus nostris, non excogitandum aliquid contra illa, ad revocandum eorum veritatem in dubium, quia rationis decempedæ non se accommodant, ut: mysterium

rium Trinitatis, incarnationis Christi & sacramentorum,  
resurrectionis mortuorum &c. In his cogitationes ca-  
ptivandæ & refrenandæ, spiritualiter ea dijudicantur  
non carnaliter, aliâs stulta videntur. Humiliari nos  
oportet in his sublimibus, & dicere: credo & non con-  
tra disputare; hic plus valet piscatoria simplicitas quam  
saniorum Philosophorum subtilitas, id quod Aposto-  
lus innuit dicens: facite cum humilibus sitis humiles in  
cogitationibus, de talibus quæ sunt supra nostras cogi-  
tationes, potest Deus facere supra quam cogitari potest.  
Salus itaq; & vita æterna & salutis media diligenter &  
sæpè cogitanda, sed cum gratiarum actione, & confes-  
sione nostræ indignitatis, quod inutiles servi simus, ni-  
hil meriti. Hoc cogitavit publicanus in templo orans,  
dum dixit: Deus propitius esto mihi peccatori. Phari-  
sæus v. sublimia cogitavit v. vitam æternam, verum pe-  
nes se reperiri causam consequendi vitam æternam subli-  
mis rei & possessionis, sublimioris quam ille cogitavit,  
quasi ille suis meritis illâ esset dignus, quod illi malè ces-  
sit, ita quidem ut descenderet è templo damnatus.

L. C. I. Quæ olent aliquam superbiam & præ-  
rogativam præ alijs, sive quoad divitias vel dignitates,  
cogitanda non sunt. Verum est, exoriuntur tales co-  
gitationes etiam nobis invitæ, sed illas mox ut pravam  
Babylonicam sobolem ad lapidem allidamus, ne cre-  
scant & adolescant. Hic Deus orandus, ut flectat cor  
nostrum ad sua testimonia, & non ad avaritiam, vanam-  
que gloriam, ut retineat nos in simplici humilitate, ne  
putemus nos esse satis dignos sublimiori aliquo officio,  
majoribus concedit s. Et hoc est quod dicit Syrac, ne  
appetas fili officium judicis, plus tibi conceditum,  
quam ut illud probe & perfectè absolvas. Tutissimum  
esse



esse contentum sua sorte, ita Apostolus: si servus es, ne cures, si liber esse possis, & ad libertatem vocaris, accipies libertatem.

L. C. 2. In spiritualibus sublimia cogitare mysteria nostræ religionis, legis Dei perfectionem, quam à nobis requirit, nostram imperfectionem implendi illam, licitum & necessarium quidem est, ideoq; sciendum, Apostolum non velle nos ab horum cogitatione & meditatione abstrahere. De his dicit David Psal. 1. quod tanta cogitans sit beatus. Sic n. canit Psalmista: Beatus & c. vide v. 1. seq. usq; ad finem. Christus optat ut Judæi cogitarent tempore visitationis suæ, quæ ad pacem sibi essent, Luc. 19.

L. C. 3. Contra Deum & ejus verbum non est aliquid cogitandum, cogitavit Saulus contra Deum, sed contra stimulum calcitrare dicebatur Act. 9. Cogitavit Pharaë contra Deum, sed submersus in mari rubro. Oremus ut Deus inspiret nobis cogitationes pias, bonas & ad ipsius gloriam directas & proximi salutem.

III. Tertiam de cogitationibus regulam. Hæc specialior esse videtur; dicit enim Apostolus: ne sitis sapientes vel prudentes apud vos ipsos. Monet Apostolus ne nostræ sapientiæ innitamus & consilia & monita despiciamus.

L. C. Hoc consilium etiam ad modestiam christianam plantandum in animis Christianorum spectat. Hoc svadet Salomon Prov. 3. v. 1. seq. ad v. 9. Non sunt itaq; contemnenda aliorum sana consilia, etiamsi servus vel ancilla dederit. Sic puella quædam in aula Naa-man Syri leprosi consuluit, ut Dominus recipiat se in Judæam ad Prophetam Eliseum, ut mundetur à sua lepra.

huic obtemperat Naaman, cum v. Propheta perciperet ei, ut lavaret se bis in Jordane, & fore ut sanaretur, & ille hoc contemneret, consulebant servi ut faceret juxta verbum Prophetæ, paret ille & sanatur.

## SECUNDA PARS

*In prima parte declaratum est, quomodo quis in cogitationibus suis peccare potest, in hac altera parte quedam vitia prohibita quæ impediunt fraternam dilectionem, & quedam media illam consequendi.*

*In quâ meditamur.*

### I. Generalem prohibitionem talionis in malis.

Nulli, inquit Apostolus, malum pro malo reddatis. Q. d. Apostolus, pro dolor, ita infirmi sunt homines in hac conversatione ut proclives sint ad malum inferendum proximo, sive quoad famam, sive quoad corpus sive quoad bona ejus. Quotidiè pro dolor audiuntur quærelæ de diffamationibus & calumnijs, libellis famosis, de furto & fraudibus de cædibus, percussionibus, in ejusmodi injurijs sustinendis, vult Apostolus nos esse mansuetos, non vindictæ cupidos, ulciscentes nosmet ipsos, id quod Apostolus etiam in hoc textu prohibet. Et hîc dicit, nemini malum pro malo reddatis. Non dicit ille, cum hic mihi sic fecit; faciam ei id ipsum, persolvam ipsi crudam pro malecosto, ut iracundi & irreconciliabiles temerè iactitare solent.

**L. C.** Licet difficile sit in hac magna nostra infirmitate, præ iracundia nos offendenti & malū inferenti aliud velle rependere, quam quod meritis est, aliud me-

tere



tere quod seminavit, tamen videmus nobis esse hoc prohibitum, & simul præceptum, ut pro malo bonum rependamus. Hinc itaq; intelligimus mentem divinæ legis, quid sit diligere proximum, quam magnum hoc sit mandatum, & quam impossibile illud implere opere. Et quantopere deceptus erat legis peritus Luc. 10. putans se posse justificari operibus legis dilectione Dei & proximi, cum ex Christi judicio didicit alium esse proximum, quam ipse sibi ex falsa legis interpretatione audivit, vtz etiam inimicos nostros, peregrinos, aliterius religionis homines Turcas, Judæos esse proximos nostros quibus debemus opera charitatis in quacunque necessitate, id quod Christus exemplo Samaritani curam habentis Judæi in latrones incidentis, quem & regionis & religionis focij Levita & sacerdos deserunt Luc. 10. Meminerimus generale esse mandatum, nulli malum pro malo reddendum. Hoc quidem etiam rectè intelligendum, vtz ne hæc talio instituat ex privata vindicta & cupiditate propria ulciscendi illatam injuriam, alias per Magistratum rectè & benè reddatur malum pro malo, ut puniantur malefici, pro delicti qualitate & gravitate, multa pecuniaria, amissione capitis, exilio &c. Magistratus itaq; nomine Dei reddit malum pro malo. Sic de Achane occultante aliquid prætiosi de spolijs in direptione Jericho, contra Dei mandatum, & ita fecit ut infeliciter pugnarent Israelitæ & caderent contra suos hostes cives in Ajn; Quia nos afflixisti, affliget te Dominus hoc die, & totus Israel lapidabat eum cum omnibus suis. Josv. 7. v. 23. Notamus v. in verbis Josvæ, dum dicit affligat te Dominus, adscribens Deo quod plecteretur Achan propter suum furtum à Magistratu. Ita de Magistratu & ejus gladio

loquitur Adostolus Rom. 13. Non itaq; cogitemus de privata vindicta exercenda in eos, qui nos aliqua ratione offenderunt, sed Magistratui illa committenda, si modo juxta Christi modum reconciliationis prescriptum controversia decidi non potest. Christus proponit parabolam de servo truculento adversus conservum suum, debentem centum denarios, qui non relinquit ullum precibus conservi locum, obtorto collo trahit & in carcerem conjicit, donec omnia soluta essent. Hoc ubi resciscit Dominus crudelis servi, iracundus eum alloquitur dicens: Serve nequam totum debitum dimisi tibi, quia orasti, nonne & tibi oportuisset misericordiam exercere erga conservum orantem & solvere promittentem? mox jubet Dominus hunc servum ligatis pedibus ac manibus tradi tortoribus, donec omnia soluta essent. Matth. 18. Quam parabolam sic applicat Christus vtz ad patrem suum coelestem, & omnes condonare offensas proximi petentis condonationem; Quod pater coelestis sit ita factururus vobis, inquit, nisi dimittat ex corde quisq; fratri suo offensam.

## II. Generalis regula est stu-

dete ut habeatis honestum nomen apud quosvis hominum. Mox explicat in quibus hoc consistat, vtz non saltem in hoc, quod quis juxta primam tabulam dicatur pius; non idololatra, non perjurus, non incantator, non verbi Dei contemptor: sed etiam in hoc quod simus amatores pacis & ita quidem studiosi pacis, ut si possibile, inquit Apostolus, cum omnibus hominibus pacem habeatis. Notandum quod dicat Apostolus, nos debere studiosos esse honestatis coram omnibus hominibus. Vult Apostolus ut nos ita geramus, ut licet

inter-



interdum impij inprobenz quod fit à nobis, nec tamen scientes nos recte fecisse, queamus os eis obturare & nos modeste defendere. Sic Christus etiam cum suis osoribus egit, fecit quod rectum erat, & cum illi hoc corrigerent & reprehenderent, defendit se; cum hæc in illo accusarent, quod recepisset peccatores comedissetq; cum eis, egregie se defendit, ostendens ex communi lege naturæ se recte facere, quod ut medicus suscepisset, ægro- tos, ut Pastor ovem perditum sollicitè quesivisset, ut bona mater familias pecuniam perditam quæsivisset, ut bonus pater filium resipiscentem in gratiam recipiens Luc. 15. Et cum hoc fecerimus, non curandi malevoli & osores nostri, nec propterea quod illi non cessant obloqui nobis, & opera nostra bona, sine ulla ratione damnare, propterea desistamus à benefaciendo. Aposto- lus dicit nos debere studere honestati coram omnib; ho- minibus: Non itaq; curandus Diabolus qui illi videatur de nostris operibus, hinc enim nullam rationem debemus sumere nostrarum actionum, scimus ipsum esse accusatorem actionum nostrarum; ita nos agamus ut Deo placeant nostra opera, si non propter suam perfe- ctionem, tamen propter Christi sufficientissimam, in o- mnibus legis divinæ impletionem, & justitiam nobis per fidem impütatam, Dicamus: dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Ab- jiciamus itaq; opera tenebrarum Rom. 13. amemus ope- ra lucis. Hoc ipsum præceptum Apostoli, est latius ex- positum Philip. 4. v. 7, 8, 9.

L. C. Videmus quæ à nobis meritò requiruntur juxta legem Dei, primam & secundam tabulam. Vide- mus etiam quomodo nos nitamur in vetitum, & cupi- mus nobis denegatum, non itaq; cofidamus nostris me- ritis, dicamus: servi inutiles sumus, oportuisset nos omnia

servasse, quia v. hæc præstare nequimus, oremus: Domine, ne nobiscum ingrediaris in iudicium. Ab occultis meis munda me. Interim non intermittamus sed nitamur quantum possumus, ut fiat Dei voluntas, sicut etiam de hoc oramus dicentes: fiat voluntas tua sicut in coelo & in terra. Paulus quamvis conqueratur sibi deesse perficere, tamen velle sibi adjacere gaudet; ne regnet peccatum in mortali corpore nostro, Rom. 6. & 7.

Ad bonum nomen pertinet etiam studium pacis, & quidem non fucatum studium & hypocriticum. Sicut Joab videbatur pacem expetere cum Abnero, osculando ipsum & clam transfigendo ipsum. Judas osculo prodidit Christum. Tale studium pacis hic non intelligitur, sed potius damnatur & pro hostilitate reputatur. Addit Apostolus clausulam valde notabilem, hanc v. si possibile vobis vel quantum potestis colite pacem cum omnibus. Nemo dicat, quid illum curo, is mihi nec nocere, nec prodesse potest, quid attinet illius quærere pacem vel amicitiam? Etiam si ita esset quod quis à te offensus, non posset quicquam contra te facere, ne hiscere quidem, propter tuam potentiam; cogita tamen, vult Apostolus dicere Deum hoc velle habemus unum patrem scimus itaq; invicem fratres & sorores, quare ergo nos invicem contemnimus? Quis est ille pater, qui ferre potest ut liberi se invicem contemnant, derideant, sibi invideant. Pater filij prodigi indignè tulit, quod filius alter qui domi fuerat incepisset accusare fratrem suum & se ipsum extollere. Luc. 15.

L. C. Discamus itaq; modestè & humaniter tractare proximum, sive Dominus sit sive servus, cogitantes fratrem esse; cogitantes illud: quod tibi non vis fieri alteri ne feceris. Eadem mensura, quâ metimini alijs



alijs, mensurabitur & vobis. Matth. 5: Recordamur p̄  
rabolæ de Phariseo contemne publicanum, oppro-  
brij Goliathi, quo Davidem parvulum incesit; Goliath  
humi sternitur, caput ejus præciditur, David extolli-  
tur insigni cantico: David percussit decem millia.

III. *Media consequenda & conservanda pacis*  
inter alia, hæc ponuntur ab Apostolo. 1. Mansuetudo, cedere  
posse, tolerare aliquid & perferre ac pati, iram cohibere ne erumpat;  
sopienda sicut ignis cinere tegitur, & flamma emicat, ut  
ita sensim tempore evanescat. Vult nos Apostolus benè cogi-  
tare illud, quod scriptum est Deut. 32. v. 35. Mea est vindicta,  
ego retribuam. Hanc virtutem commendat Christus Matth. 5.  
dicens: Beati mites quoniam terram possidebunt.

2. Beneficentia erga offensum, & Liberalitas in cibando &  
potando adversarium nostrum; si esuriat, inquit, inimicus tuus,  
ciba illum, si sitiatur, pota illum. Hac beneficentiâ, inquit Apo-  
stolus, tantum efficies, ut ipsi colligas prunas super caput ejus per-  
moveas ipsum ad considerationem & meditationem tuâ benigni-  
tatis, ut sic incipiat te amare, & te officijs impoſterum prosequi.  
Extat hoc consilium lucrandi fratrem per verbum Prov. 29. v. 23.

3. Conatus vincendi malum bono, & resistendi ne vincamur  
à malo, ne eò deflectamus, ut victi irâ nostrâ, & ulciscendi cu-  
piditate rependamus malum pro malo. Vult Apostolus nos esse  
victoria studiosos præsertim in vincendo malum bono. Nos proli-  
dolor in hac palestra segnius nos exercemus, susq̄. deq̄. habemus,  
arridet nobis vinci à malo, verum hæc victoria, quæ fit à malo  
nullum adfert gaudium, sed pœnitentiâ seramq̄. dolorem acer-  
bum, id quod experientur omnes vindictæ cupiditatis & miseri ho-  
micida jam jam de medio tollendi propter vindictæ cupiditatem.

L. C. Saluberrima media consequenda & servanda pacis, no-  
bis ab Apostolo præscripta sunt, utinam illa ex animo cogitemus,  
& in ijs nos quotidie exerceamus. Corporalis exercitatio ad pau-  
ca p̄ior

ea prodest, pietas v. ad omnia, & promissiones habet presentis  
& aeterna vita. 1. Tim. 4.

**C**lementissime Deus Pater caelestis jubet nos esse humiles, p̄-  
cificos, non vindicta cupidos, cibare inimicos, non vinci a  
malo sed venere malum bono, Sunt hac praecepta salutaria, sed  
quid prestabimus tuâ sine gratia, fac tu nos discipulos & imita-  
tores filij tui Domini nostri Iesu Christi qui omnia praecepta im-  
plevit, per eundem Dominum nostrum Iesum Christum qui te-  
cum & S. S. vivit & regnat aternalitèr, Amen.

**B**enedictio & claritas, & Sapientia & gratiarum actio, & honor & virtus,  
& fortitudo Deo nostro in secula seculorum Amen, Apocal. 7. 12:

## Q U A E S T I O N E S

### I.

Quid significat vox prudentiæ in hoc loco: nolite  
esse prudentes apud vosmet ipsos? R.

*Lyra in hunc locum, dicit vocem prudentiæ accipi hic simi-  
litudinariè, quia vera prudentia non est nisi in bonis: sed astutia  
in malis, quæ prudentia dicitur eo quod cautè sit querere vias  
nocendi, nam bonum ad mala transferimus, sic dicimus prudens  
vel bonus latro.*

### II.

An in aliquo casu non cedendum vel toleranda in-  
jura illata? R.

*In aliquo casu non expedit sustinere vel pati sc. quando  
per hoc malis datur audacia mala faciendi, quidam cum tem-  
poralia bona a nobis rapiunt sunt tolerandi, quidam v. observata  
charitate prohibendi, non solum curâ ne nostra subtra-  
bantur, sed ne rapientes nos  
ipsoſ perdant.*

